

# **Visual Library Portal**

**Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts**

**Disputatio Ad Ligurini VII. 100. De Henrico Leone**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel  
Schmidt, Heinrich**

**Wittebergae, 1675**

**VD17 12:116503P**

**urn:nbn:de:s2w-2651**

*Q. D. B. P.*  
*DISPUTATIO*  
Ad *LIGURINI VII.* 100.


*De*  
**HENRICO LEONE**

habita  
PRÆSIDE  
**CONRADO SAMUELE SCHURZ-**  
**FLEISCH**, Prof. Publ. h. t. Ord. Philos.  
DECANO.

Respondente

**M. HENRICO SCHMIDT**  
Clauſthalenſi Cheruſco.

*Ad d. XXIV. Decembr.*  
*in Auditorio majori.*



WITTEBERGÆ,  
Litteris MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M D C LXX V.

DISPENSATIO  
AL EPIGRAMM VII

# HENRICO LEONE

PRÆSIDÈ  
CONRADO SAMUELIS SCHURZ  
FLEISCHBECKER, h. e. Old Thier  
DECANO

M. HENRICO LEONE  
Classical Clerk

M. & X. N. D. D. D.

THIRINGIA  
DIE...  
...

Decorative border consisting of a row of repeating floral and geometric motifs.

**G**Untherus, cujus opus cum auctore confundit Baronius, cujusque de patriâ multi perperam existimant, decepti titulo operis, *Saxonis* nomen & metri legibus, & historiæ convenienter extulit, si non Græcâ lectione, quæ tunc Germanis ignota erat, Ptolomæi, ubi & primò illud invenitur, & unde ejus pronunciandi ratio indubitata desumitur, tamen imitatione Claudiani constare potuit, quippe ex quo aliquid hujusmodi expresisse videri potest, & consuetudo scriptores pro captu optimos, ornare voluisse utcumque has literas, novoque exemplo apud Germanos expolire. Quod cur anonymus Paderbornensis non perinde fecerit, condonandum est simplicita-

\* Equidem huic, si forte à profanis & non Christianis Poëtis abhorruit, ante oculos Episcopus Arvernorum Cajus Sollius Apollinaris Sidonius, mediæ ævi scriptoribus cum primis notus atque familiaris, Radevico etiam lectus, lib. 2. cap. 76. qui etsi alioqui Latinitatis non opti-

A 2

mæ sit auctor, & vixerit seculo barbaricis migrationibus corrupto, tamen servat metri leges, dum scribit: *Quin & Aremoricus piratam Saxona trahens, &c.* Cui lucem affundit Procop. *Gotb. I. cum quo conf. Jo. Tilius de reb. Gall. lib. 1. pag. 5. Aub. Miræus Annal. Belg. pag. 79. De piratica Saxonum consentiunt Orosius, Eutropius, aliique.*

ti ævi Carolovingici, quo non pari studio industria-  
que in hac disciplina est desudatum, sciuntque Viri  
docti & intelligentes, Ludovicum Pium nimia pie-  
tatis affectatione à scriptoribus emendatissimis Ro-  
manorum sese revocasse ad similitudinem rudis at-  
que impoliti sæculi, quòd vereretur, ne ex illorum  
lectione religio detrimentum caperet. Disertè  
Theganus Chorepiscopus cap. 19. *Poëtica carmina  
gentilia, quæ in juventute didicerat, respuit, nec le-  
gere, nec audire, nec docere voluit.* Quamquam is  
haud difficulter recordari poterat, sanxisse patrem  
Carolum, ut utraqve lingua Græca & Latina, ad  
quam non planè nihil doctrinæ Poëtarum confe-  
runt, doceretur, quod sine egregiis auctoribus,  
quos cum primis monasteria Benedictina posterita-  
ti conservarunt, nemo temere voluit, nemo rectè  
unquam potuit. Verba Diplomatis Ecclesiæ Osna-  
brugensi, primæ literarum in Saxonia matri anno  
post natum Christum octingentesimo quarto con-  
cessi hæc sunt, quatenus ad meum institutum perti-  
nent. *Statuimus, quia in eodem loco (Osnabrugæ ur-  
be transveseranae Saxoniae) grecas & latinas scolas*  
(quæ

(qvæ scriptio, qvæ id ævum fuerit, arguit) in perpetuum manere ordinavimus, & nunquam Clericos utriusq; lingvæ gnaros ibidem deesse, in Dei misericordia confidimus.

2. Mox, quem intelligat Guntherus, descriptione Henrici Guelfi indicat, Principis stirpe majorum pariter & fama opum fortitudinisqve maximi, & Bavarix Saxonixqve Ducis, propter facta dudum posteris traditi, omniumqve ore celebrati. Cujus inter laudes præcipuum est, quòd Leonis nomine auctus ornatusqve fuit: quod undenam acciderit, & qvæ ejus occasio causaqve fuerit, non uno modo narratum est. Multi à fabula repetunt, quam doctè refellit *Albertus Cranzius Saxonix lib. 6. c. 34.* Ego ab imagine Leonis, quam in gentilitiis insignibus usurpavit, postquam Fridericum Ænobarbum infestum sibi habuit, adversamqve fortunam ejus inclementi edicto expertus, in Angliam discessit, atqve inde asportato Leonum insigni rediit. Id confirmat numus ex longinquitate illorum temporum allatus, in quo & nomen Henrici, & Leonis effigies est incisa. \* Non aliter existimavit *Cranzius*, vereq;

A 3

*Slav. lib. 1. cap. 85. & conf. Arnold. Lubecensis lib. 3. Chron. Slav. cap. 5.*

\* Leonis effigie qvoq; pro insigni Imperii civilis, sive ut hodie loquimur, territorialis Brunsvigæ, veteris patrimonii Guelfici, in quod anno M DCLXXI, postliminò redacta est, civitatis habuit, ut colligitur ex *Abb. Stadenfi an. 1166.* Præter quod Lubecæ, etiam quo illo tempore in ditone Guelforum erat, instituit numariam officinã, commerciis, mari Balthico anno MC LX. aperto, peridoneam. *V. Helmold. Chr.*

prodidit, Henricum ad distingvenda armorum insignia Leonem ex Anglia adduxisse, *Sax. lib. 2. c. 24.* *Henr. Meibom. in aurea bulla Andronici p. 211.* *Gabriel Bucelinus, qui magnam laudem promeritus est scribendis Guelforum rebus, in historia Agilolfingica p. 414. seq.* *Johannes Baptista Pigna in historia Atestina, præstanti sanè opere ac luculento, in quo cum præclarè tradit de Atestinis, tum de Guelfis, quippe ab illa stirpe ortis, lib. 2. seq.* Quod argumento sit, Henricum in laude posuisse hoc nomen, atque illo ipso posteris testatum reliquisse, talem esse virtutem suam, quæ neque ulla calamitate, neque rebus adversis frangeretur, jamque multis & magnis rebus spectata cognitaque esset. Propterea eum cupido incesit urbis condendæ & à nomine suo appellandæ, ut omnes intelligerent, hoc quoque monumento propagare memoriam ad posteros, & gloriam nominis pariter ac potentiam tueri munireque voluisse. *Disertè Helmoldus. Tunc edificavit Dux civitatem novam super flumen VVochenicze, non longè à Lubike, in terra Rasesburg, cæpitq; edificare & communire. Et appellavit civitatem de suo nomine*

*mine Levvenstatt, quod dicitur, Leonis civitas, lib. 1.*  
*Chron. Slav. cap. 85.* Cujus magni excelsive no-  
minis memoriam etiamnum conservare Lovven-  
burgum, rentur *Melch. Nebel. in Chronographia,*  
*Johannes Theodorus Sprenger in lucerna pag. 356.*  
Contra quos nolo equidem contendere, illud ta-  
men disimulare non possum, scriptores veteres,  
quorum auctoritas apud me valet, ejus originem  
non Henrico Guelfo Saxoni, sed Bernhardo Asca-  
nio Saxoni acceptam ferre. In quam sententiam  
*Arnoldus Lubecensis Chron. Slavor. lib. 3. cap. 1. hec*  
*scripsit. Dux Bernhardus in ipso tempore coepit adifi-*  
*care Lovvenburg super littus Albia ad Orientalem*  
*plagam Erteneburg.* Quod ex eo repetit Albertus  
*Cranzius Saxon. lib. 6. cap. 44.* Etsi autem primor-  
dia sumtorum à Leone insignium ab Henrico, cui  
inde additum cognomen est, meritò cepi, tamen  
haud nescio reperiri, qui ad Henricum superbum,  
ejus Patrem referunt, nullo autem veræ antiquitatis  
documento, quod hic valeat, ut tale quid persua-  
deatur. Illud verò omninò est memorabile, quod  
tradit Methodius, jam suâ quoque ætate Saxones  
Leo.

Leonis imaginem in numis circumtulisse, apud

\* De Veteris Norici finibus doctè commentati sunt Marcus Velserus in libris rerum Boicarum: Joh. Aventinus annual. Boj. l. 1. 2. Hier. Megiserus Chr. Carinth. lib. 3. Ut nunc nil ex Ptolomæo afferam huc atque addam. Ab Noricorum populo dictum est *castrum Noricum*, sive Norimberga, apud *Otton. Frising. l. 1. cap. 16.* Abbas Urspergensis *castellum Norimberc.* appellavit, *An. 1105.* Quod ut mutaverit dominos suos, alibi dicitur.

*Iren. exeg. l. 2. cap. 25.* 3. Sequitur, ut videam, quas regiones complexus fuerit Henrici Leonis principatus. Sed eas sigillatim non enumeravit Guntherus, nec pangendis versibus tam aptè & rotundè enumerare potuit, neque ex præsentis instituto necesse habuit, contentus descriptione *Noricae telluris*, quæ cum in ditio-  
ne Leonis esset, tum amplissimas provincias clientelasque continebat. Ado Viennensis Noricos interpretatur Bajoarios *Chron. an. 866.* \* Otto Frisingensis eundem sanè Ducatum Noricum, quem alias Bajoaricum extulit, ejusque metropolin Ratisbonam, postea de potestate Ducum exemptam, quam Ducatus iste Schirenses cum Guelfis commutavit, *de gestis Friderici I. lib. 2. cap. 28.* Neque eo seciùs explicat Otto Sanblasianus, & quia Otto Frisingensis anno dō c LIX. scribere desit, simul tradit, quemadmodum Ducatus Noricus, qui unus inter totius Germaniæ Principatus facilè est antiquissimus, ad Ottonem Palatinum VVittelsbachium, origine Schirensè, permissu beneficioque Friderici Aenobarbi

barbi pervenerit, atq̄ve adeò ab alienatus à Guel-  
fis, in externum jus potestatemq̄ve redactus fue-  
rit, *append. ad lib. 7. chron. Otton. Frising. cap. 24.*  
*Abbas Urspergensis an. M C LXXV. Abbas*  
*Stadensis an. M C LXXX. quo sententia pro-*  
*scriptionis in Henricum lata est, Chronicon Rei-*  
*cherspergense à Christoph. Gervoldo editum, &*  
*Chr. Lauterbergense an. eodem.* David Blondel-  
lus paulò alias in rationes, & numerat annum  
M C LXXXI. *genealog. Franc. p. 159.* \* Perpe-  
ram, sive de sententia, sive de sententiæ execu-  
tione quæstio instituatur. Sententia enim  
quando promulgata sit, jam tum probavimus.  
Cætera res quemadmodum acta fuerit, monu-  
mentis commendavit *Gerhardus Stederbur-*  
*gensis in historia de Henrico Leone*, unde per se  
quilibet intelligit, Fridericum Ænobarbum ejus  
opprimendi occasionem quæsisisse, & cum of-  
ferretur, libentissimè arripuisse, cujus certè capi-  
tale odium, quod in Guelfos effuderat, tandem  
in Conradini caput excidio Hohenstauffiæ stir-  
pis est vindicatum. *V. Thom. Fazellus de rebus*

\* ibidem non  
rectè Angri-  
varios cum  
Angariis, sive  
Angris con-  
fundit,

B

Sicu-

*Siculis decad. post. lib. 8. cap. 3. Felinus Sandeus  
epit. de reg. Sicil. cap. 17. Leonard. Aretinus hist.  
Florent. lib. 3. Pandulph. hist. Neapol. lib. 4. Jo.  
Aventinus Annal. Boj. lib. 7. Martinus Cru-  
sius annal. Sævic. lib. 2. part. 3. cap. 19.*

4. Etsi verò Ænobarbus eam multò acer-  
bissimam sententiam dixit in consilio Princi-  
pum, quod inde ab ultimis reipublicæ Germa-  
nicæ initiis sanctissimum fuit, tamen affirmavit  
Henricus, Imperatorem præter exempla maio-  
rum de se statuisse atque judicasse, ut indicat *Ar-  
noldus Lubecensis, Chron. Slav. lib. 2. cap. 24.*  
Eodemque instituto non multò post comme-  
morat Ænobarbum, ut maximè significatio-  
nem dedisset restituendi in dignitatem Henrici,  
tamen eum restituere, in animo non habuif-  
se, sive odio, sive invidia erga Guelfos, *lib. e-  
od. cap. ult. Chron. Bruns. H. Bunting. pag. 164.*  
Quod cum primis exaggeratur in historia  
Præsulis Stederburgenſis, qui & consiliorum  
Henrici conscius, & actorum peritus fuit, & hu-  
jus rei causa legationem quoque ad Imperatorem  
obiit, qui memoriæ tradidit, Ænobarbum be-  
nignè

nignè quidem esse pollicitum, sed nihilominus mitigari non potuisse, ut propinquo Principi gratiam suam confirmaret. Quæ constantia aliàs bona & laudabilis fuit, \* cum suam imperiique auctoritatem contra machinationes Pontificum tueretur, apud *Radevicum lib. 1. cap. 10. Gobelinum, & qui ex eo narrat, Monachum Nusfensem Chron. magn. Belg. p. 180.* Nunc tamen ea Henrico molesta fuit atque gravis, quando quid secum actum fuerat, in animo reputabat.

\* Pontifici studet Arnoldus, alioqui verax & diligens scriptor, dum asseveratione sua confirmat, Fridericum *excommunicationem meruisse, de cetero nullam regni sui deminutionem pati voluisse, lib. 2. cap. 32.* Quo animo etiam fuit, invicto sanè & contra omnes molitiones firmo, Otto IV. Henrici Leonis, de quo hic commentamur, filius, qui instaurare collapsam imperii majestatem, & vindicare ejus jura omnibus modis allaboravit, *Chron. Lauterberg. Anno M C C X I.*

5. Verùm quæ causa fuerit, cur imperatores Svevi Henricum Leonem tam acerbè inimiceque insectarentur, paulò diligentius hic est perquirendum, quùm fontes atque capita dissidiorum à me demonstrantur. Ea autem dum

\* Vid. episto-  
 la Friderici  
 Ænobarbi ad  
 ipsummet  
 Ottonem Fri-  
 singæ Episco-  
 pum per scri-  
 pta, & histo-  
 riæ de gestis  
 Friderici I. in-  
 ferta, lib. 2.  
 cap. 30. Mon-  
 chus Nussi-  
 ensis stylo  
 suo fratrem  
 Imperatoris  
 Conradi (cu-  
 riæ diploma-  
 tumque for-  
 mulam imi-  
 taturus, regē  
 duntaxat Ro-  
 manorum di-  
 cere debuit)  
 ex matre no-  
 minat: haud  
 dubito, Conradi regis fratrem uterinum nominare voluisse, *magn. chron. Belg. an. 1138. conf. Chr. Reichersp. an. 1155. Aub. Mir. annal. Belg. pag. 730.* Atque id sanè pro certo concessioque omnes sumunt, eum descendere ex stirpe Imperatorum Saliqvorum, sive ut loquitur Urspergensis, *ex generatione Henricorum.* Cui, imperante Maximiliano I. Cæsare, tantus honor est habitus, ut præsentem eo in divos referretur, *Martin. Crusius Annal. Sæv. part. 2. lib. 9. pag. 365. & part. ead. lib. 10. pag. 412.*

reputo mecum & cogito, venit in mentem Otto-  
 nis Frisingensis, Friderici I. Imperatoris patruus,\*  
 & in curia ejus præclarè versati, rerumque ab eo  
 gestarum cum primis periti, & socii interdum  
 atque adjutoris. Qui sincerè hæc talia exposuit,  
 & rectè monuit atque graviter, Henricum super-  
 bum Lotharii Saxonis Imp. cujus gener erat, cau-  
 sam pariter & odium suscepisse, & cum pace frui  
 posset ac secundis rebus, studio soceri infestasse  
 Hohenstauffios, Saliqvorum proximè extincto-  
 rum, quorum cum ultimo Henrico V. magnas  
 similtates Lotharius habuit, cognatos atque hæ-  
 redes. Erat inter hos Fridericus Sveviæ Dux,  
 Henrici superbi affinis, cum quo non convenie-  
 bat Lothario, quòd sciret, imperium suum gra-  
 viter ferre Svevos, & contra se contendere ac co-  
 gitare, quemadmodum augusta dignitas Frideri-  
 co Sveviæ Duci prærepta, † à Saxonibus rursus ad-  
 dignita-

† Vid. Abb. Stadenfis *an. 1126.* Friderici Ducis, qui ante præsentem imperii

dignitatem, quàm obtineret Lotharius Saxo, frater fuit Conradus III. cujus ambitus turbas excitavit, quando partum Lothario augustum decus eripere nitentur. *Otto Frising. l. 1. de gest. Frid. l. cap. 16. & Chron. lib. 7. cap. 17.* Ea verò spe cum vivo Lothario frustraretur, tum ipso mortuo, & voti demùm compos factus, & Henrico Lotharii genero, vincentibus Francoꝝum Svevorumque suffragiis, est prælatus, apud eundem *lib. 1. de gest. Frid. l. cap. 22. & Chron. lib. 7. cap. 22.* Hunc monachus Nussiensis appellat Lotharii æmulum, ac memorat propter necessitudinem Saliqvam (fuit enim Henrici Saliqvorum masculæ stirpis ultimi ex sorore nepos) Henrico superbo, majori alioqvi potentia innixo, & propter contractum cum Gertrude Saxo-Supplinburgia matrimonium, par ex affinitate jus, nisi venisset in invidiam, adeptum antepositum fuisse. Nam si disceptatio stricti juris instituenda fuerat, neqve Conrado Hohenstauffio, neqve Henrico Guelfo propter fœminas, quæ nullum succedendi jus, neqve in imperio Romano; neqve in regno Germaniæ unqvam habuerunt, neqve ad id acquirendum per naturam sui sexus, qui semper ab imperiis & regnis masculinis, quæliæ æterno fœdere junctæ corpus Germano-Romanum continet, habiles nascuntur. Quod eò magis hic locum habet, quia Germanorum imperium Romanum, de quo victuris ad posteritatem monumentis commentatus est Vir nostrâ laude major *Hermannus Conringius*, in Henrico V. successionem hæreditariam cum jure electionis jam diu ante commutaverat, fueratqve adeò in arbitrio Principum eligere, quem eligendum è republica judicabant. Proinde ad laudem Lotharii pertinet; quod de eò affirmat Frisingensis, *Voto* (suffragio) *omnium* imperii Principum (non dum quippe tunc electores instituti erant, atqve eam adeò ob causam Bucelinus Henricum superbum & Leonem perperam Saxoniæ electores nominat *in historia Agilolfingica pag. 397. & part. 3. geneal. p. 41.*) *renitentem valde, ac reclamantem*, ad regnum (Germaniæ, cui supremum jus in Romam, & libera ac perpetua potestas eligendi Romæ dominos, qui idè imperatores augusti Romanorum appellantur, est annexa) *tractum esse*: quò eum purgat de ambitu, licet Abbas Stadenſis commemoret, ipsum sese obtulisse, quò certè etiam vitio caret, addatqve, paulò post operâ Moguntini Antistitis benevolentiam Prin-

cipum esse conciliatam, ut suffragiis eum ornarent, *an. 1126.*  
Alii pertimescendam ejus potentiam causati sunt, *Frising. l. 7. c. 22.*  
cujus tanta sub illud tempus fama fuit, ut major titulus ipsi vulgò  
tribuatur, quàm isto ævo in Principem imperii conveniebat, apud  
*Franc. Iren. exeges. lib. 3. cap. 60.* Forma hæc est. *Henricus* (ab æmu-  
lis superbus dictus) *Dei gratia* (hujus formulæ usus ante eum in-  
valuit, recteque se habet, modò cætera æqvè rectè se habeant) *ro-*  
*rius Saxonie* (atqvi ab ipsomet Lothario, priusquam Henricum si-  
bi generum conciliaverat, Comitatus Nordalbingiæ, qui insignio-  
res Saxonie transalbinæ partes complectebatur, aliò delatus atqve  
Adolpho stirpis Schovvenburgicæ Comiti attributus fuit, quod in-  
dicatur diplomate dato anno 1106. quo Guelfi duntaxat erant Du-  
ces Noricorum, id est, Bajoariæ & Marchiones Orientales) *ac Ba-*  
*joarie* (ordo scribendi non servatur : sive enim origo & antiqvi-  
tas Ducatum Bajoariæ & Saxonie, sive acqvirendi tempus, sive  
stylus ipsorummet diplomatum consideretur, non congruit ista ti-  
tuli scriptura cum ævo illo atqve usu curiæ Guelficæ) *Rheni palati-*  
*nus* (immò verò si ita legendum esset, cum adjestatione, ut aliàs so-  
let, efferri debuisset : Comes Palatinus Rheni, qui titulus non ab  
Henrico Catuli filio, sed ab Henrico ejus nepote est usurpatus, po-  
steà autem eo extincto concessu beneficioqve Friderici II. ad Lu-  
dovicum Ottonis Wittelsbachii, in cujus laudes *Radevicus lib. 1.*  
*cap. 18.* effunditur, filium delatus, atqve ab ejus familiæ posteris ad  
hunc diem usqve retentus fuit) *Brunsvigi, Lunenburgi, ac de Nor-*  
*them Comes* (at tunc nullus Brunsvigæ & Luneburgi comitatus  
fuit. Etsi enim Otto ab Alberto Abbate vocatus est, *Dominus de*  
*Luneburg,* & paulò post *Dominus de Brunsvig,* *Cbron. an. 1227.*  
tamen nullum monumentum occurrit, in quo is, aut ullus Saxo-  
Guelfus se Comitem Brunsvigæ & Luneburgi scripserit. Quæ  
dominia Fridericus II. ultimus ex Hohenstauffis Imperator Au-  
gustus (Conradus IV. enim tantum Rex Romanorum fuit) anno  
1235. auxit ornavitqve honore Ducatum Brunsvicensis & Lune-  
burgensis, *Abb. Stadenfis an. alleg. Rud. Diephold, geneal. hist. pag. 82.*  
Tabulæ integræ atqve inviolatæ supersunt apud *H. Meibomium op.*  
*hist. pag. 503. seq.* Comitatus Northeimensis est quidem multò anti-  
quissimus, fatente ipso *Irenico exeg. lib. 3. cap. 62.* sed non memini,  
ad

ad distingvendum Ducum Guelforum titulum fuisse adhibi-  
tum ) *omnium inter Albim ac Rhenum dominus* ( latè eum impe-  
r. fse, & hoc nomine gloriatum fuisse, refert Otto Frisingensis  
*Chron. lib. 7. cap. 23.* Credoq; sanè his rebus factum, quòd super-  
bus diceretur, ut qui affirmare solitus esset, *regnare se à mari*  
*usque ad mare, id est, à Dania usque in Siciliam.* Similiter de e-  
jus filio Henrico Leone tradit Joh. Aventinus, *à sinu penè Ha-*  
*driatico ad sinum Codanum, Oceanumq; Germanicum* fines Du-  
catus sui extendisse: *lib. 6. annal. Boj. pag. 516.* Neuter tamen il-  
lorum tam vasto titulo est usus, quippe quòd ejusmodi luxu-  
ri- titulorum non fuit ex usu illius ævi, ne quidem inter Im-  
peratores ac reges. Atque ex dictis saltem intelligi potest,  
quanta rerum commutatio sequatur æmulationem potentium  
familiarum, quæ & obesse sibi & prodesse mutuò possunt.  
Tum verò iis exemplis ipsi etiam monentur Principes, ut co-  
gitent incrementa ac deminutiones; & secundas adversasque  
res auctore Deo sibi evenire; quo animos ad pia justaque im-  
peria attendant, quod serix & gravis Philosophiæ caput quo-  
que attingit *Frisingensis Chron. lib. 7. cap. 17. 23. & 24.* Præterea  
non tam magnitudine virium, quàm charitate patriæ firmari  
patriam, & florere summas potestates. Demùm propter vi-  
tandas turbas utilio rem esse imperiis successionem, quàm ele-  
ctionem, quod tantò magis olim ætate Henrici superbi in repu-  
blica Germanica locum habuit, quia tunc jus eligendi impe-  
ratores ad omnes imperii Principes spectabat, qui quam sæpe  
adversus se contenderint suffragiisque certaverint, tristis supe-  
riorum sæculorum eventus docuit, fuitque hæc omnino causa,  
cur impetio in electionem verso, etiam post Henrici V. tem-  
pora aliquid ex successione, vel quasi relictum fuerit.

Svevos deferri possit. Quod ne fieret, provi-  
debat Lotharius, retinendæ augustæ dignitatis,  
& in Guelfis, quos Saxonix Duces creaverat,

quos.

quosque connubio & amicitia sibi junxerat, continuandæ cupidus, unde lites ortæ sunt atque æmulationes, quibus cum reipublicæ, tum familiaris istis multò potentissimis magna pernicietas est allata. V. *Frisingensis lib. 1. de gest. Frid. 1. cap. 16. § 18.* ubi rem omnem declarat, & unde hujus discordiæ principia ducenda sint, tradit. In eam sententiam scribit Urspergensis, Henricum superbum, mortuo focero,\* ad Cæsaream dignitatem consequendam omnia consilia retulisse, & imperii insignia retinuisse tantisper, dum à Principibus consuleretur in medium, & idonea ratio reperiretur eligendi successoris, atque excitata

\* In Saxonia  
eis - veserana  
Lutheræ (Rö-  
niq̄s - Luther)  
monasterio  
ab se ædifica-  
to, & post e-  
um gener  
Henricus ibi-  
dem, tumu-  
lo est illa-  
tus, *Abbas*  
*Stadensis an.*  
*1137. Frising.*  
*Chr. l. 7. c. 25.*  
Quem vicum  
ab Augusto  
hoc Imp. Or-

dinis Benedictini domicilio nobilitatum illustravit pugna Tilli cum Christiano IV. commissa, *Thomas Carvæus epit. rer. Germ. an. 1626. Carolus Carafa comment. de German. sacr. restaurat. p. 304. edit. Francof. Lotharii laudes Petrus Diaconus Cassnensis complexus est, sincerè quidem ac liberè, usque eò, ut illi in causa Pontificia Abrahamus Bzovius convitium dicat, lib. XII, bist. Eccl. f. an. 1131. Qui Norbertum imprimis adhibuit consiliis, ac socio itineris in Italiam suscepti usus est, quem post Archiepiscopatu Magdeburgico imposuit, Ordinis Præmonstratensium auctorem, Ursperg. an. 1126. Trittenhemius Chr. Hirsau-giens. an. 1127. Andreas Werner Chron. Magdeb. in Norbert. XIII. Archiep. Qui adeptus est à Pontifice primatis Germaniæ titulum, atque ejus exuvia Anno 1626. sinistro, ut tunc multorum sententia fuit, cui anno 1631. tristis eventus fidem fecit, transportatæ sunt Pragam, renitentibus verò sacerdotibus & plebe, annuente contra Urbis Senatu, Nic. Bellus Laur. Austr. part. 2. lib. 11. pag. 78. Ad. Bra-abel. an. 1626. pag. 133.*

citata Guelfos inter & Hohenstauffios dissensio tandem sopiretur, *Chron. an. 1138.* Quod longè aliter cecidit, ac putaverat Henricus, propterea quòd Franci Sueviq; æmulatione potentia Saxonibus infesti, eligerent Conradum III. veterem Lotharii imperatoris æmulum, & Henrico Leonis patri, qui augustam concupiscens dignitatem, ejus spem prævertere cogitaverat, maxime infensum, usque eò quidem, ut nollet duos ducatus ab uno principe possideri, \* non ut juri, sed quò iræ suæ serviret, & cum non esset in ipsius

\* Certum me hujus rei facit *Helmoldus, Chron. Slav. lib. i. cap. 54.* cum docet & commonefacit, Conradum (hujus nominis, quod diplomatis etiam præscribit, II. in serie regū

C pote-

Romanorum, III. in serie regum Germaniæ) ita existimasse, & non solum Bajoariæ, verum etiam Saxoniam ducatum ab eo abalienare, & in Albertum Ursum Marchionem Soltwedelensem, qui ea de causa titulo Ducis Saxoniam anno M C XL. se subsignavit, conferre voluisse. Ex eo repetunt *Abbas Stadenfis chron. an. 1138: Albertus Cranzius Saxon. lib. 6. cap. 8. Conf. Johannes Tritemius in Chron. Hirsaugiensi an. 1138.* Id verò quale sit, & quo jure nitatur, nunc videbimus. Sanè enim ipse sibi contradixit Conradus, cum ita statueret, quippe qui Alberto Urso jam ante Marchioni, eiq; Principi, novum Principatum impertiri, constitutum habuit, atque adeò sine dubitatione voluit, uni duos subesse principatus, in quo reverà nil inest pugnant, atque à statu Principis alienum: neque difficile est, tale quid ex omni memoria confirmare, & saltem in præsens mihi sufficit, id etiam pertinere ad imperii Archiprincipes, ut in Sigismundi imp. tabulis anno 1434. editis vocantur, siquidem ipse, de quo nunc loquor, Sigismundus uno eodemq; tempore duos Electoratus, Bohemicum pariter & Brandenburgicum, habuit, quorum hunc, vivo patre Carolo IV. quem is ab Ottone Bayaro, ejus stirpis Marchione ultimo emerat, illum fratre Wenceslao, qui salvo regni Bohemici jure, à loco imperii dimotus fuerat, mortuo acquisivit, & utrumque conjunxit, *Jo. Dubravius hist. Bohem lib. 22. 24. 25. Melch. Goldastus Reichsstatung. part. 2. an. 1426.*

potestate opprimere Guelfos, hac duntaxat ratione atque instituto vires ipsorum labefactaret, & potentia ex propinqua Bajoaria formidabilis nervum incideret: contra se atque Sueviam, in qua Hohenstauffiorum opes innitebantur, magis firmaret, & memor superioris rerum suarum inclinationis, possessionem imperii cum primis fundaret, & summoto ex finibus adversario, non sibi tantum, sed etiam posteris conservaret.

6. Nec fortuna Conrado regi defuit, & quod voluit, ex animi sententia est consecutus, sive quod Henrico nimium rebus suis fisco \* securitas obstaret, sive quod Episcoporum Guelficæ magnitudini invidentium machinationibus impediretur, rerumque adeo Saxoniarum, quas florentes isti æquo animo ferre non poterant, facies immutaretur. Namque tanta erant duorum horum Principum, quamlibet popularium & affinium † odia, ut appareret, ea non posse, nisi

\* Vid. *Frising. Chr. l. 7. c. 23.*  
*Et de gest. Frieder. l. lib. 1. cap. 22. Tritheimius Chr. Hirsaug. an. 1172. Conf. Urspberg. an. 1139.*

† *Arnold. Lub. lib. 2. cap. 24.*  
ubi Henricus

Leo pronunciavit, *Suevia se esse oriundum*, in qua Hohenstauffii etiam aborigines fuerunt. De affinitate, quæ inter illos per Judithæ matrimonium coaluit, vid. *Frising. lib. loc. supr. alleg.* Cujus hæreditarii inter propinquos necessariosque odii exemplum inter Guelfos & Alcanios memorat *Helmold. Chron. Slav. lib. 1. cap. 54.*

nisi alterius exitio terminari. Sed Conradi regis gratiâ principum innixi fortuna prævaluit, qui Henricum superbum opibus atqve potentiâ sibi invisum, ducatu Bojariæ mulctavit,\* & post excito in æmulationem Alberto Urso, Ducatum quoque Saxoniam in prædam, ac veluti præmium navandæ sibi contra Henricum operæ ostentavit. Utrumque verò, defuncto Conrado, Henricus Leo recuperavit, & excepta duntaxat Marchia Bajoariæ,\*\* quæ anno M C LVI. ad Henricum Leopoldi filium delata est, jussu decretoq; Friderici Ænobarbi iterum ditioni suæ adjunxit, ac retinuit, usque dum ipsi apud imperatorem invidia conflaretur, & Ducatus Saxoniam simul cum Bavarico ei adimeretur, relictis solum iis possessionibus & provinciis, quæ ad liberum ac nulli obnoxium Guelforum patrimonium

\* *Otto Frising. lib. 7. Cbr. c. 23. Usserg. Cbr. an. 1139. Proinde Leopoldus in tabulis publicis scripsit se Ducem Bajoariorum, ut videre est apud Reicherspergensem, an. 1141. quo decessit Leopoldus cognomine junior, ibidem. Nihil secius eum usurpavit Henricus Leopoldi filius usque ad annum M C LVI. quo Henricus Leo juri in Marchiam Orientalem (Marchiam Austriam)*

antea Ducatui Bavarie lege beneficiaria obnoxiam insolidum renunciavit.

\*\* *Otto Sanblasianus cap. 6. Otto Frising. de gest. Frid. I. l. 2. c. 28. Cujus rei fontes verissimaq; capita sunt in diplomate A. M C LVI. Henrico Marchioni Austriæ concessio, ubi Henr. Leo cessit & renunciavit omni juri & actioni, quas habebat ad dictam Marchiam (Bajoariæ, quæ aliàs Marchia orientalis, sive Austriæ dicitur, ut à Marchia orientali, citra Albim sita, cujus Detmarus meminit, distingvatur) cum omnibus suis juribus & beneficiis. Antea enim Austria fuit Marchionatus Bavarie beneficiarius, qualis post esse desit, quum Ducatus dignitatem suscepit, & nullo interjecto ad imperium pertinere coepit. V. Aub Miræus not. Belg. c. 159. Melchior Goldastus const. imp. tom. 1. an. 1156. perperam enim præscriptus est annus 1166. Jo. Trithemius chr. Bavar. pag. 109. Christoph. Lehmannus in erudito chron. Spirens. lib. 5. cap. 63.*

nium pertinebant. † Quam fortunam Dux ma-  
 ximus æqvo animo tulit, & quia eam corrigere  
 non potuit, fortiter sustinuit, ac res adversas con-  
 stantiâ vicit, necessitatiq; parens summam virtu-  
 tem retinuit, & sive arma, sive pacis negotia tra-  
 ctaret, per se sponte ad gloriam incitatus, magna-  
 nimitatis laudem conservavit, dignus imperio  
 augusto Princeps, nisi Ænobarbus imperasset. ††  
 Cumq; hæc talia eximia sint, & valeant ad amplificandam  
 Henrici Leonis fortitudinem, tum ævo nostro gratulan-  
 dum est, tanti ardorem animi suscitatum quoque esse in  
 ipsius posteris atque successoribus, qui pro salute ac liber-  
 tate Germaniæ, & vitâ fortunisq; omnium arma corripue-  
 runt, & famam à majoribus per manus acceptam honestis  
 rebus factisq; egregiis auxerunt, externumq; domina-  
 tum à Rheni Mosellæq; finibus exemplo ad posteros me-  
 morabili prohibuerunt, socialiq; Germanorum  
 bello decus atque robur addi-  
 derunt.

† Possesio-  
 nes in patri-  
 monio Guel-  
 forum nume-  
 ratæ nemini,  
 nec impera-  
 tori, obnoxia  
 fuerunt, eoq;  
 formula pro  
 scriptio nō  
 ad has, sed  
 duntaxat ad  
 imperio be-  
 neficiarias  
 pertinuit, *Ar-  
 nold. Lube-  
 cens. chron.  
 Slav. l. 2. c. ult.  
 Chronic. Rid-  
 dagsbusanum  
 pag. 1. 2. H.  
 Meibom. op.  
 pag. 489: seq.*

Quod indicio est, insignes Saxoniae cis-veheranæ provincias, agro Brunsvicensi & Lunenburgensi comprehensas primū imperante Friderico II. cum anno 1235. digni-  
 tatem Ducatum recipere, factas esse imperio beneficiarias, antea sui juris & li-  
 beras, ac expertes omnis clientelaris beneficiariiq; nexū.

†† Genealogia Henrici Leonis vid. apud *Dav. Chytræum Saxon. p. 55. Eliam  
 Reusnerum oper. Genealog. in stirpe Guelfica, H. Meibom. opusc. hist. in relect. apol. p. 426.  
 Gabriel. Bucelinum, aliosq;.* Ejus epitaphium extat in Chronologia D. Chytræi, quæ  
 anno 1586. emendatius consilio monitoq; Meibomii Helmæstadii est recusa, suppe-  
 ditatis ab eodem versibus, quibus epitaphium continetur, an. 1195. Chron. Riddags-  
 husanum p. 16. Annum, cum è vita decederet, egit sextum atque sexagesimum, au-  
 toritate Stederburgensis, quæ apud me permagnum momentum habet.